

9-8340
BX
2260

DE
ABSOLUTIONE

PARENTIBUS, QUI PROLEM SCHOLIS
PUBLICIS SEU PROMISCUIS INSTITUENDAM TRADUNT,
NEGANDA NECNE,

S P E C I M E N ,

*QUOD JUDICIO VENERABILIS CLERI AMERICANI ET EARUM
REGIONUM, IN QUIBUS SCHOLARUM PUBLICARUM SEU
PROMISCUARUM VIGET SYSTEMA, AD PROMO-
VENDAM PRAXIS UNIFORMITATEM,*

SUBMITTIT

A. KONINGS, CONG^{NIS} SS^{MI} REDEMPT.,
IN COLLEGIO ILCHESTERIENSI EJUSDEM CONGREGATIONIS AD S. CLEMENTIS
S. THEOLOGIÆ AC SS. CANONUM PROFESSOR.

BOSTONIÆ.
TYPIS PATRICII DONAHOE.
1874.

Prospectus.

THEOLOGIA MORALIS

NOVISSIMI ECCLESIAE DOCTORIS

S. ALPHONSI,

IN COMPENDIUM REDACTA ET USUI VENERABILIS CLERI
AMERICANI ACCOMMODATA.

AUCTORE A. KONINGS, C. SS. R.

NOTHING seems to us better calculated to recommend the work of which we have given the title above, than to present to the careful perusal of the Reverend Clergy of the United States the following extract of a letter addressed to the author by an ecclesiastic fully qualified to judge of the merits of the work, to whose examination and revision the manuscript has been submitted by the author.

" REVEREND AND VERY DEAR FATHER,

" I have examined with care the manuscript which you have been so kind as to submit to my revision. It gives me great pleasure to state that in my humble opinion it has all the qualities that can be desired in a handbook of morals for the clergy and seminaries of America. Its language is clear and simple, and thus its perusal becomes easy even to those of our clergy and seminarians who, on account of unavoidable circumstances, are not familiar with the niceties of the Latin language. By inserting, at the proper places, the decrees of our last Plenary Council, you have given all that is necessary for practical use, thereby dispensing with the obligation of constantly referring to that rather large volume. I might even venture to say that by these and other points of Canon Law introduced into your Compendium, a regular course of that study might well nigh prove unnecessary. I have also remarked with pleasure, that you employ such notes only as are necessary for seeing whence you have drawn your doctrine; other notes are, as a general rule, but a source of confusion to

[See 3d page cover.]

DE

ABSOLUTIONE

PARENTIBUS, QUI PROLEM SCHOLIS
PUBLICIS SEU PROMISCUIS INSTITUENDAM TRADUNT,
NEGANDA NECNE,

S P E C I M E N,

*QUOD JUDICIO VENERABILIS CLERI AMERICANI ET EARUM
REGIONUM, IN QUIBUS SCHOLARUM PUBLICARUM SEU
PROMISCUARUM VIGET SYSTEMA, AD PROMO-
VENDAM PRAXIS UNIFORMITATEM,*

SUBMITTIT

A. KONINGS, CONG^{NIS} SS^{MI} REDEMPT.,
IN COLLEGIO ILCHESTERIENSI EJUSDEM CONGREGATIONIS AD S. CLEMENTIS
S. THEOLOGIÆ AC SS. CANONUM PROFESSOR.

BOSTONIÆ.

TYPIS PATRICII DONAHOE.

1874.

MONITUM.

Paragraphi vel partes paragraphorum, quæ his signis [] includuntur, adjecta, aut, ut nunc leguntur, immutata sunt post receptas Episcoporum approbationes.

IMPRIMATUR.

✠ JOANNES JOSEPHUS,

Ep. Bostoniensis.

BOSTONIÆ, 16 Jan., 1874.

APPROBATIO.

CUM opusculum, cui titulus est: *De absolutione parentibus, qui prolem scholis publicis seu promiscuis instituendam tradunt, negandâ necne, Specimen, quod judicio Venerabilis Cleri Americani et earum regionum, in quibus scholarum publicarum seu promiscuarum viget Systema, ad promovendam praxis uniformitatem, submittit A. Konings, Congnis SS^{mi} Redempt., in collegio Ilchesterensi ejusdem Congregationis ad S. Clementis S. Theologiæ ac SS. Canonum Professor, duo ejusdem Congregationis theologi, quibus id a nobis commissum fuit, recognoverint et imprimi posse probaverint, potestate nobis à R^{ssmo} Patre N. Mauron, dictæ Congregationis Rectore Majore ac Superiore Generali factâ, facultatem concedimus, ut typis mandetur.*

In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas et sigillo officii nostri munitas dedimus.

[L. S.]

JOSEPHUS HELMPRAECHT, C. S. S. R.,
Sup. Prov.

BALTIMORÆ, in Solemnitate SS^{mi} Rosarii B. M. V. 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Natchitochensis.

REVEREND FATHER,

I have carefully perused the short treatise *De Absolutione*, etc. . . . I must say that such a treatise has long been for the confessors, more especially in this country, a great and important desideratum. I not only fully approve of it, as being altogether in the spirit and in conformity with the doctrine of St. Alphonsus, but I wish it to be published as soon as practicable.

Please receive my sincere congratulations and the expression of my respect.

Your humble servant in Xto,

* AUG. MARIA, Bp. of Natchitoches.

NATCHITOCHES, Dec. 20, 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Pittsburgensis.

REV. AND DEAR FATHER,

I have read with pleasure the document you have so kindly sent to me, and I assure you of my cordial approbation.

⊕ CH. DOMENEC, Bp. of Pittsburgh.

PITTSBURGH, Dec. 26, 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi de Marysville.

REV. DEAR FATHER,

Accept my sincere thanks for your Pamphlet, "De Absolutione," etc., which meets my fullest approbation. Your conclusions are based upon and legitimately deduced from principles which no Catholic can call in question. The analogy which you have traced between the precautions required by the Church in the event of Mixed marriages and Mixed schools is admirably drawn out.

⊕ E. O'CONNELL, Bp. of Marysville.

MARYSVILLE, Dec. 28, 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Galvestoniensis.

I have read your pamphlet "De Absolutione," etc., and I approve of it.

⊕ C. M. DUBUIS, Bp. of Galveston.

GALVESTON, Feb. 14, 1874.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Wilmingtonensis.

ADM. REV. PATER,

Tuas, quas nuper accepi litteras . . . non sine magno gaudio et inspexi et approbavi; etenim tam Scyllam quam Charybdim cautè vitasti, normamque veluti, quam tuto pede sequi possint animarum directores, eruditione plenam et ad tramitem sinceræ Ethices omnibus demonstrasti.

Hanc igitur ob causam . . . Tibi, Adm. Rev^{de} Pater, maximopere gratulor.

Tuus in Christo servus,

⊕ THOMAS, Ep. Wilmingtonensis.

WILMINGTON, die 31 Dec., 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Richmondensis.

REV. DEAR FATHER,

I have seen and examined with much profit and satisfaction your learned treatise "De Absolutione," etc.

Your Reverence proves conclusively that while principles are everywhere the same, there are circumstances of place and person which often oblige us to modify our decision.

• • • • •
I think your pamphlet, so remarkable for its moderation, will do much good.

Accept my thanks, while I remain

Yours faithfully in Xto.

* JAMES GIBBONS, Bishop of Richmond.

RICHMOND, Dec. 30, 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Crossensis.

REV^E PATER,

Tractationem tuam de "Absolutione Parentibus, etc., neganda necne," attente a Nobis perlectam, hisce præsentibus lubentur in omnibus ejus partibus approbamus, censemtes te in eâ nimium inter rigorem et noxiā laxitatem juxta sanæ doctrinæ principia mediâ et rectâ viâ inoffenso pede processisse.

Datum in Civitate Crossensi, die 27 Decembris A. S. 1873.

* MICHAEL HEISS, Ep. Crossensis.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Detroitensis.

REV. DEAR FATHER,

. . . . The exposition of the question which you treat is not only of the greatest importance, but owing to the recent controversies has created rather a confusion in the minds of many as to its practical bearings "pro confessario." And therefore I am confident, that the clergy will welcome your lucid explanation of the practical application with no ordinary delight. Permit me to thank you most cordially for the work you have undertaken for the guidance of the sincere souls.

Yours truly in Xst,

* C. H. BORGESS, Bp. of Detroit.

DETROIT, Dec. 22, 1873.

Approbatio Reverendissimi Episcopi Savannensis.

MY DEAR KONINGS,

I received your Tractatus "De Absolutione," etc. I have carefully read it, and heartily indorse it. I have spoken with Bishops N. N. about the work, and they have all praised it greatly.

Yours as ever in S.S. Cordibus Jesu et Mariæ,

✠ WILLIAM, Bp. of Savannah.

SAVANNAH, Jan. 1, 1874.

LECTORI BENEVOLO.

HAUD pauca, et ea quidem præclara, hâc nostrâ præsertim ætate, in lucem prodierunt scripta de “*scholis ab Ecclesiæ doctrinâ, auctoritate et vigilantiâ amotis.*”¹ Nullum vero, quod ego quidem sciam, in quo eâ, quæ Casuistarum propria est, ratione tractetur quæstio de absolutione parentibus, prolem ejusmodi scholis instituendam committentibus, negandâ necne. Profecto, quotquot sæculo nostro labente de Pastorali Theologiâ scripsere, quæstionem hanc pro disciplinæ suæ more attigerunt; sed alia est Pastoralis, alia Casuisticæ Theologiæ ratio; illa videlicet *modum* potius, quo principia moralia *efficacius* et *prudentius* in praxim ducantur, docet; hæc quid principia illa, pro casum varietate, *stricte* exigant, quid non. Nova igitur, ni fallor, est isthæc, non quæstio quidem, sed tractatio.

Itaque non Pastoralis Theologiæ regulas in hâc nostrâ opellâ circa efficaciorem et prudentiorem confessariorum hac in re agendi modum tradimus; sed tractationem nostram arctioribus Casuisticæ Theologiæ limitibus circumscribentes, hoc unum quærimus an absolutio semper ac omni in casu deneganda sit parentibus, qui prolem scholæ alicui publicæ instituendam confidunt. Quâ in re, si cui visi fuerimus à mediâ inter laxitatem et rigorem viâ aberrasse, monita et elucidationes, quibus ad eam reducamur, libenter sumus suscepturi, scriptionem hanc nostram, quam cæteroquin judicio Matris Ecclesiæ, animo ad obediendum promptissimo, subjicimus, ex prudentiorum consiliis illicò correcturi. Unum vero hoc rogamus, ut ne quis animo, non ab omni præjudicatâ opinione libero, aut praxi, quam hucusque sibi sequendam duxerit, tenacius quam par sit adhærenti, hæc mea, qualiacumque sint, pervolvat.

Litt. Pii P.P. IX. ad Episc. Bavariæ. “*Maximæ quidem,*” dd. 18 Aug. 1864.

I.

EXPONITUR STATUS QUÆSTIONIS.

1.— Filiis a parentibus, vel ab iis, qui ipsis parentum loco sunt, deberi educationem, non tantum corporalem, sed etiam, et eam quidem maximè, *spiritualem*, apud omnes catholicos in confesso est. Ad hanc vero spiritualem educationem ex parte parentum, præter correctionem et exemplum, requiritur etiam, et imprimis, *doctrina*. Tenentur nimirum parentes, “per se, vel per bonos instructores erudire filios in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei, in fide et in omnibus ad salutem necessariis, quia illos gènuerunt propter Deum assequendum, et consequenter illos erudire debent in viâ, quâ ad Deum perveniant.” Hinc Deut.¹: “DOCETE filios vestros” (verba mea) “ut illa meditentur,” et Eccⁱ.²: “Filiī tibi sunt? ERUDI illos et curva illos a pueritia illorum.”³

2.— Jam vero quæritur utrum huic suo officio *graviter* semper desint, atque àdeo absolutione numquam non sint indigni parentes, qui filios suos scholæ alicui publicæ instituendos tradunt.

Scholarum *publicarum* (*common, public, national schools*) nomine in hac nostrâ quæstione veniunt eæ, in quibus *de facto* viget “ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholicâ fide et Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectat.”⁴ Dico: “*de facto* viget.” Sunt videlicet scholæ, in quibus, licet *publicæ* audiant vi legis, quâ existunt, *de facto* ejusmodi viget juventutis instituendæ ratio, quæ à catholicâ fide non sit sejuncta, ludimagistris legem negligentibus, et iis, qui legi servandæ invigilare debent, conniventibus. In quæstione autem nostra non agitur de parentibus, qui filios suos *ejusmodi* scholis instituendos tradunt, sed de iis, qui illos committunt scholis, quæ non *nomine* tantum, sed et *re publicæ* sint.

¹ XI. 19. ² VII. 25. ³ Gury, Comp. Th. Mor. P. I. n. 374. Ed. in Germ. Quarta.

⁴ Prop. 48 in Syllabo damn.

II.

EXPOUNTUR PRINCIPIA, E QUIBUS QUÆSTIONIS SOLUTIO PETENDA EST.

3. — PRINCIPIUM I. Legis præcepta alia *affirmativa*, alia *negativa* distinguuntur. Pleraque tamen, etsi vi verborum, quibus enunciantur, videantur vel tantum affirmativa, vel tantum negativa, prout actus cuiusdam positionem vel præcipiunt vel prohibent, in se includunt utrumque.¹ Sic præceptum, quo parentes obligantur filios eo, quo supra n. 1 diximus, modo per se vel per alios instituere, vi verborum affirmativum est; implicat tamen etiam negativum.

Et vi quidem sensûs affirmativi hujus præcepti *curare* tenentur, ut filii catholicè, quodemcumque modo, instituantur; vi vero negativi *cavere*, ne ex scholis, quibus instituendi committuntur, eorum fides moresve detimenti quid capiant.

4. — PRINCIPIUM II. Præceptum, quatenus affirmativum est,¹⁾ *semper* quidem, sed *non ad semper* obligat, nec²⁾ *necessario* requirit, ut parentes filios scholæ cuicunque committant; at vero³⁾ *omnino* exigit, ut eo, quo fieri poterit, modo catholicè instituantur.

Probatur principium per partes. A. *Semper quidem, sed non ad semper obligat.* Etenim hæc est præcepti affirmativi natura, ut per positivum actum impleri debeat; at hujus actûs positivi non semper datur aut occasio, aut possilitas; ergo non obligat *ad semper*. Sic actus positivus, quo à parentibus impleri debet præceptum de prole catholicè educandâ, est actus docendi ea, sine quorum scientia proles catholicè educari nequit; at hujus actus positivi nec semper, nec ubique datur possilitas; fieri enim potest, quâdemcumque de causâ, ut parentes huic actui ponendo idonei per se ipsos non sint, nec alios habeant aut habere possint, à quibus eorum loco ponatur.

B. *Non necessario requirit, ut parentes filios scholæ cuicunque committant.* Schola enim per se non est medium *unicum* (licet *ordinarium*), quo præceptum impleatur; nam vel per se ipsos, si idonei fuerint, vel per alios catholicæ filiorum institutioni extra omnem scholam sufficienter providere *absolute loquendo* possunt.

¹ Scavini Theol. Mor. t. I. n. 157, Ed. XI. et Suarez, tom. V. de Leg. Lib. II. Cap. X. n. 1. Ed. Paris., 1856.

C. *Omnino exigit, ut eo, quo fieri poterit, modo catholice instituantur.* Præceptum enim, ut affirmativum, obligat semper, et nisi ad illud, quod dictum est, obligaret, penitus vanum foret.

5.— PRINCIPIUM III. Præceptum, quatenus negativum est, *semper* et *ad semper* obligat parentes, ne prolem committant scholis, in quibus vel fidei integritas, vel morum honestas periculo, quâdemcumque ex causâ proximo, exponantur.

Hæc enim est negativi præcepti ratio, ut, cum sine ullo actu impleri possit,¹ nulla ejus servandi aut occasio deesse, aut impossibilitas adesse umquam queat, et consequenter non semper tantum, sed et ad semper obliget, i. e. nullo umquam in casu violari licet possit. Ergo nullo umquam in casu fieri potest, ut liceat parentibus prolem committere scholis, in quibus vel fidei integritas, vel morum honestas periculo, quâdemcumque ex causâ proximo, objiciatur.

Dico : 1) *in quibus vel fidei INTEGRITAS.* Quibus verbis significo, teneri parentes cavere, non solum ne filii a fide defiant, sed etiam ne ea in mentibus eorum aut infirmetur, aut obscuretur. Fallacibus namque Liberalismi et Indifferentismi commentis in plurimorum animis fidei vel vigorem debilitari, vel veritates obtenebrari, supervacaneum est vel dicere.

Dico : 2) *vel morum honestas.* Neque enim solâ fide salvari poterunt filii. Vix praeterea morum honestas in discrimen adducitur, quin et ipsa fides, nostris præsertim temporibus, periclitetur.

Dico : 3) *periculo PROXIMO exponantur.* Etenim si nemini unquam liceat alios periculo *proximo* objicere, certo certius non licebit parentibus filios eidem exponere, cum non ex *charitate* tantum, sed et ex *officio*, pietatis videlicet, illud a prole pro posse suo avertere teneantur. Itaque scholæ ejusmodi vel omnino vitandæ erunt, vel, si gravem aliquam ob causam adeundæ sint, periculum, cui aut fidei integritas, aut morum honestas filiorum objicitur, ex *proximo remotum* erit reddendum. Quod si vel fieri penitus nequeat, vel frustra tentetur, omnino vitandum erit. Hæc facili negotio deducuntur ex iis, quæ de occasione proximâ necessariâ tradunt Moralistæ.

Dico : 4) *QUADEMUMCUMQUE EX CAUSA proximo.* Causæ autem, ex quibus fidei integritas vel morum honestas, aut ambæ simul, in scholis publicis periclitentur, quatuor potissimum, mox n° 6 latius exponendæ, recenseri possunt ; *libri* nimirum, qui pueris aut præleguntur aut traduntur ; *discipuli*, quibuscum consuetudinem fovent ; *magistri*, quos audiunt ; *ipsa illa instituendæ juventutis ratio*, quæ est ab Ecclesiæ doctrinâ, auctoritate et vigilantiâ amota. Et tres quidem priores causæ positivæ dici debent ; postrema *de se* negativa.

¹ Suarez, l. c.

6.—PRINCIPIUM IV. Scholæ publicæ: 1) Catholicis viris *numquam probari possunt*; 2) spectatis temporum ac locorum adjunctis *communiter ut positivè noxiæ prohibendæ sunt*; 3). *perrarò ut non positivè noxiæ tolerari possunt.*

Probatur principium per partes. A. *Catholicis viris numquam probari possunt.* Constat ex infallibili Summi Pontificis oraculo, ex propositione nimirum 48^a in Syllabo damnatâ, quæ sic sonat: “Catholicis viris probari “potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholicâ fide et ab “Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scien-“tiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo, vel saltem primario “spectet.” Et re quidem vera, quâ demum ratione catholico viro probari poterit ea instituendæ juventutis ratio, quâ pueri *catholici* ut homines tantum et ut cives, et non etiam ut *catholici* edacentur? Mitto nec ut homines et ut cives institui posse, qui non ut *catholici* instituuntur, quemadmodum tristissimâ temporum nostrorum experientiâ satis superque docemur.

7.—B. *Spectatis temporum ac locorum adjunctis communiter ut positive noxiæ prohibendæ sunt.* Evidenter pro hac nostrâ regione patet ex gravissimis his Concilii Plen. Balt. II. verbis. “Experientia siquidem diurna satis superque probavit, quam gravia sint mala, quam intrinseca etiam pericula, quæ Juventuti Catholicae ex frequentatione scholarum publicarum *hisce in regionibus PLERUMQUE obveniunt.* Vi enim systematis apud illas obtinentis, nequaquam fieri potest, quin simul in magnum fidei morumque discrimen juvenes Catholici adducantur. Neque alia profecto ex causa repetendi videntur progressus, quos exitialis illa Indifferentismi, ut vocant, labes hactenus *in hac regione maximos* habuit, *habetque in dies*; illa quoque morum corruptela, quâ vel tenerrimam apud nos ætatem *passim* infici ac perdi non sine lacrymis videmus.”¹

Rationes, ob quas scholæ istæ communiter ut positive noxiæ prohibendæ sint, a Patribus Concilii Plenarii Baltim. II.² et in Epistolâ, d. 25 Apr. 1868 a S. C. de Prop. Fide ad Episcopos sibi subjectos datâ, sequentes recensentur.

1 “*Quotidiana*” in iis “*lectio et meditatio auctorum*, qui Sanctissimam “Religionem nostram et instituta, imo Cœlites ipsos incessunt, rodunt, “nigroque sale adspergunt,” et quâ “paulatim in puerorum Catholicorum “animis vis ac virtus veræ Religionis elevatur.”

2 “*Consuetudo*” *discipulorum*, “qui aut falsam aut nullam colunt religi-“onem,” et qui præterea “iis plerumque sunt moribus et exemplis, eâ lo-“quendi agendique nefariâ licentiâ, ut hoc commercio et usu familiari adoles-“centibus (licet domi optimè institutis) et fides labefactetur, aut certo pudor “omnis ac pietas, quasi cera admoto igne, cito absumatur ac pereat.”

¹ a. 426.

² Ib.

³ “*Magistri, qui innocuos etiam, si qui dentur, auctores sæpius ita interpretantur, ut venenum erroris subdole et sensim sine sensu puerorum animis instillent.*”

⁴ *Ipsa illa instituendæ juventutis ratio, quæ est à fide catholicâ sejuncta, et quâ fit, ut pueri, dum maximam diei et puerilis ætatis partem in scholâ transigunt, toto fere pueritiæ spatio Religionis influxu vix non omnino priventur; religiosis enim officiis et instructionibus Dominicis tantum diebus assistere solent. Quæ quidem causa, etsi per se negativa dici possit, gravissima tamen est, efficitque, ut pericula, quæ Juventuti Catholicae ex frequentatione scholarum publicarum plerumque obveniunt, ipsi instituendi rationi intrinseca dici debeant,¹ seu quæ cum ipso scholarum publicarum systemate ita necessariò cohæreant, ut, licet per cautelas quasdam vis nociva, quâ pollut, impugnari et maxima etiam ex parte superari aliquando possit, penitus ab eo avelli nequeant.*

8. — C. Perraro *ut non positive noxiæ tolerari possunt.* Perrarò enim ut non positivè noxiæ tolerari poterunt, si perraro contingat, ut in iis serventur conditiones et cautelæ, quibus servatis aliquando, juxta S. Sedis declarationes, tolerari possint. Quod quidem perrarò contingere, ex ipso Pontificiæ declarationis, quâ conditiones et cautelæ istæ indicantur, tenore, quem hic subjicimus, manifestum fit. In controversia videlicet, quæ ante annum 1841 inter Hiberniæ Episcopos excitata fuerat de nationali, ut vocant, erudiendæ juventutis systemate, quod certe pejus non fuit illo, quod nunc multis in regionibus viget, S. C. de Prop. Fide d. 16 Jan. 1841 inter alia hæc rescripsit. “Omnibus . . . rei periculis . . . accurate perpen-
“sis, auditis partium disceptantium rationibus, *habitâque præsertim felici*
“notitia, quod per decennium, ex quo id *systema studiorum susceptum fuit*,
“Religio Catholica nihil detrimenti passa videatur, Sacra Congregatio,
“Sanctissimo Domino nostro Gregorio Papa XVI. probante, censuit nullum
“esse definite judicium hâc super re proferendum, atque id genus institu-
“tionis in Episcoporum singulorum prudenti arbitrio et religiosâ conscientiâ
“esse relinquendum, quandoquidem ejus successum a vigili pastorum
“curâ, a cautelis variis adhibendis, a futurâ demum per temporis tractum
“experienciâ pendere necesse est. Ne tamen sine idoneis consiliis ac
“providentiis tanta res dimittatur, S. Congregatio sequentia interim mo-
“nenda esse judicavit.”

" 2. " (quæ secundo loco monentur ad scholas
sic dictas Normales pertinent.)

¹ Conc. Plen. Balt. II. a. 426, initio.

“3. Tutius multò esse ut litterarum tantummodo humanarum magistarum fiat in scholis promiscuis” (publicis), “quam ut fundamentales, ut aiunt, et communes religionis Christianæ articuli restricte tradantur, reservatâ singulis sectis peculiari seorsum eruditione. Ita enim cum pueris agere periculosum valde videtur.”

“4. Generatim Episcopos et Parochos advigilare oportere, ne ex hoc systemate nationalis institutionis pueris Catholicis quamlibet ob causam labes obveniat; eorumdem etiam esse enixe curare, ut a Supremis Moderatoribus meliorem in dies rerum ordinem et conditiones æquiores impetrant.” *Quartum hoc monitum ad confessarios, qua tales, DIRECTE non pertinet.*

.

“Quæ vero superius significavi talia esse Amplitudo Tua quoque facile intelliget, ut, iisdem diligenter servatis, in istâ re tantæ gravitatis interea satis religioni, satis tranquillitati ac juvenilis ætatis bono consultum esse credendum sit.”

Ut igitur schola aliqua publica ut non positive noxia tolerari possit, præteriti temporis experientiâ constare debet eam hucusque non nocuisse, servarique diligenter debent conditiones ac cautelæ, quibus pericula, quæ ex eâ existere imposterum possint, remota reddantur. Cum vero perraro ejusmodi conditiones ac cautelæ serventur, perraro etiam ut non positive noxiæ tolerari poterunt.

9.— Ex dictis liquet, quo sensu accipienda sint verba Litterarum Apostolicarum: “*Quum non sine maximâ.*” d. 14 Julii 1864 ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia: “*Certe quidem, ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum hujusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem, ET JUVENTUS MISERE EXPONERETUR DAMNO CIRCA FIDEM, tunc Ecclesia cogeretur (would be obliged) omnes fideles monere, eisque declarare, ejusmodi scholas Catholicæ Ecclesiæ adversas haud posse in conscientia frequentari.*” Ex Brevi nimirum perspicuum est, 1º “*Consilium*” ipsum “expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem,” ubivis locorum esse “perniciosissimum,” et 2º fore ut Ecclesia cogeretur “fideles monere, eisque declarare . . . scholas,” in quibus “hujusmodi vel susciperetur vel ad exitum perduceretur consilium, haud posse in conscientia frequentari,” si “juventus” in iis “misere exponeretur damno circa fidem.”— Prohibendæ igitur sunt ejusmodi scholæ ob damna et mala, quæ ex iis existunt, non verò præcise ex eo quod illicitum sit humanas alias sive scientias, sive artes doceri a magistro, qui de religione altum, et licet ex professo seu systematicè silet. Ergo si hæc damna in casu aliquo perraro non sint timenda, eo quod periculum illorum proximum in aliqua ejusmodi schola ex parte neque librorum, neque ma-

gistrorum, neque condiscipulorum existat, et instructioni religiosæ pueri aliunde sufficienter provideatur, nulla amplius existet gravis ratio, cur parentibus prolem ei committentibus absolutio sit deneganda, excepto, ut per se patet, casu, quo Episcopus [cujus prudenti arbitrio et religiosæ conscientiæ scholarum publicarum negotium à S. Sede relinquitur¹], *ob commune periculum* omnes omnino scholas promiscuas aut penitus prohibendas, aut sub definitis tantum conditionibus tolerandas judicaverit; legitimo enim superiorum præcepto, quale est illud quod in præsumptione periculi damni fundatur, omnino parendum est.² — Et hic quidem sensus nisi Litteris Apostolicis, de quibus agitur, tribuatur, Breve a. 1864 ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgoviam contradiceret Rescripto Apostolico anni 1841 ad Episcopos Hiberniæ; quod absit! — Anno nimis 1864 in quibusvis locis regionibusque absolute prohibitæ fuissent eadem illæ scholæ, quæ a. 1841 in Hibernia tolerari sub quibusdam conditionibus et cautelis poterant.³

Quid quod ipsi Concilii Plen. Balt. II. Patres, qui verba Brevis eodem illo, quem exposuimus, sensu intellexerunt, a S. Sede, a quâ Concilii Decreta recognita fuerunt, neque reprehensi, neque aliter edocti fuerint? An forte Sacram Congregationem fugerunt verba illa articuli 435: “Cum autem “omnibus in parœciis Scholæ exclusive Catholicæ, propter rerum angustias, “nondum haberi queant, et nullibi sit locus pro institutione quotidiana et “necessaria, nisi in gymnasiis *publicis*, eo magis oportet omnes cautelas “adhibere, ut *exinde* quam minimum detrimentum juventus Catholica patiat-“tur”? — aut alia illa art. 429: “Cum constet *publicæ* educationis rationem “plerisque in his Provinciis ita iniri, ut hæresibus inserviat, “Ideo invigilandum erit, ne in *publicas* scholas libri vel exercitia huiusmodi” (i. e., Biblia protestantica vel sectarum cantica aut preces) “introducantur, “cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem et moderate hisce “sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum, qui auctoritate valent “opportunum adhibere remedium, implorato auxilio”? — His nimis verbis Patres Concilii aperte significarunt, se casum admittere, in quo scholæ publicæ tolerari possint. Nisi enim hunc casum admisissent, nihil opus fuerat animarum pastores monere, ut invigilent scholis *publicis*, ne in eas libri vel exercitia ejusmodi introducantur, quibus fides pietasque in discrimen adducantur, et omnes adhibere cautelas, ut *exinde* quam minimum detri-“mentum juventus Catholica patiatur. Debuisse simpliciter dicere, in vigilantiâ ac cautelis istis adhibendis oleum et operam perdi, quum intrinsece malum sit scholas illas frequentare, adeoque eas nullo in casu in conscientia adiri posse, et parentibus absolutionem nunquam non denegandam esse. — Mitto nullum ex antiquitate adduci posse documentum, quo probari possit

¹ S. C. de P. F. supra n. 8.

² Cfr. S. Alph. Tr. de Leg. n. 100.

³ Cfr. Dublin Review, July, 1872, page 192, sq.

semper ac in omni casu a Sacrementis arcendos fuisse parentes, qui primis Ecclesiæ sæculis pueros scholis paganorum commiserint.

[Frustra quis verbo: *gymnasiis*, quod a. 435 Conc. Pl. occurrit, insistens vim argumenti nostri elevare conaretur, quasi *scholis* publicis applicari non possit; nam a. 429 eadem agendi norma commendatur quoad *scholas* publicas, quæ a. 435 commendatur quoad *gymnasia* publica: quæ cæterum in mente Patrum a scholis non distinguntur, ut facili negotio probari posset.

Frustra etiam Resp. S. Sedis aⁱ 1847 ad Episcopos Hiberniæ, tamquam revocatorium Respⁱ 1841 ad eosdem, objiceretur; nam Responsum 1847 de re omnino aliâ, nimirum de *Collegiis superioribus* agit, quorum frequentationem eâ præcisè de causâ prohibet, quod cautelæ, ob quas scholæ elementares a_o 1847 tolerari posse declaraverat, in iis non adhiberentur.]

10.— PRINCIPIUM V. Fieri potest ut parentes, licet cæteroquin catholiciæ filiorum institutioni sufficienter provideant, ratione scandali, pusillis alias dandi, sub gravi teneantur illos non committere scholæ alicui publicæ, etsi non positive noxiæ. Hæc tamen ratio scandali non stringit, ubi adest justa scandalum permittendi causa. Ratio patet. Scandalum enim pusilorum vitandum est, ubi sine gravi incommodo vitari potest.

III.

DE CASIBUS, IN QUIBUS EX PRINCIPIIS EXPOSITIS ABSOLVI
NEQUEANT PARENTES, QUI FILIOS SCHOLIS PUBLICIS IN-
STITUENDOS TRADUNT.

11. — MONITUM GENERALE PRAEAMBULUM. In re morali, in eâ præsertim de quâ agimus, resolutiones practicæ multoties determinari non possunt ad instar decisionis mathematicæ; sed tantum ad instar decisionis plus minusve moraliter definitæ juxta communiter contingentia. Neque hoc mirum videbitur, si advertas, quam magna sæpe inter casus, etiam primâ facie similes, sit varietas, eaque tenebris involuta. Ergo præter scientiam principiorum moralium requiritur et moralis prudentia sive dexteritas, quâ casus singulos recto, ut vocant, oculo practico considerare, eosque principiis scientiæ subjicere valeamus. Ita sapienter, licet de aliâ re agens, monet cl. Van Egeren.¹ Et hæc quidem præmonenda duximus, ne, dum in resolvendis, qui sequuntur, casibus vocabula: *generatim* vel *univer-*
sim passim usurpamus, alio, quam eo, quem mox explanavimus, sensu in-
telligamur.

12. — *Casus I.* Absolvi nequeunt parentes, qui filios instituendos tradunt scholis publicis, in quibus cogantur uti versione protestanticâ Bibliorum, vel sectarum cantica aut preces recitare. Etenim fides non discrimini tantum exponitur in ejusmodi scholis, sed ejusdem etiam confitendæ præceptum per quamdam in Sacris communionem violatur, aut certe violari censetur. Cfr. Conc. Plen. Balt. II. a. 429, et quæ supra n. 8 ex Rescripto S. C. de Prop. Fide ad Episcopos Hiberniæ sub 1. retulimus.

13. — *Casus II.* Generatim absolvi nequeunt parentes, qui filios instituendos committunt scholis publicis, quas n. 7 positivè noxias diximus. Sunt enim e numero earum, quas S. Sedes in litteris ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgoviâ in conscientiâ frequentari non posse declaravit. Recole dicta n. 9.

Dico: *generatim* absolvi nequeunt, — propter exceptionem, de quâ infra n. 19, 20 agemus.

¹ Notationes de sel. quibusd. mat. practicis. Fasc. 1, p. 38. Ed. 1870.

14. — *Casus III.* Universim absolvi nequeunt parentes, qui filios confidunt scholis publicis, de quibus ignoratur utrum sint e numero positive noxiarum, necne. Ex dictis enim n. 7 patet eas *communiter* ob aliquam ex tribus causis positivis num. cit. explanatis positive noxias esse; militat ergo contra eas præsumptio, quod sint positive periculosæ; quæ præsumptio soli cedit veritati, i. e. certitudini quod hæc vel illa schola publica juxta dicta n. 8 ut non positivè noxia tolerari possit. In moralibus enim, ut mox in monito præambulo n. 11 diximus, secundum communiter contingentia judicandum est.

15. — *Casus IV.* Nisi aliter catholicæ filiorum institutioni sufficienter provideant, absolvi nequeunt parentes, qui illos scholis publicis, licet certo non positive noxiis, instituendos tradunt iis in locis et adjunctis, in quibus eos scholæ alicui catholicæ committere possunt. Etenim præceptum prolem catholice instituendi non solummodo *negativum* est, seu prohibens ne scholis positive noxiis committatur (n. 5), sed et *affirmativum*, præcipiens nimirum ut medium aliquod, idque idoneum, adhibetur, quo catholicæ ejusmodi institutio obtineatur (n. 4). Jam vero parentes, de quibus in casu, ejusmodi medium supponuntur negligere seu non adhibere. Ergo absolvi non possunt.

Dixi: 1) *Nisi aliter catholicæ filiorum institutioni sufficienter provideant.* Schola enim catholica, licet optimum et ordinarium medium sit ad hunc finem obtainendum, non est tamen *unicum*; ergo sub negatione absolutionis cogi nequeunt parentes ad hoc præcisè medium adhibendum, supposito quod ex unâ parte schola publica non sit positivè noxia, ex aliâ vero quod filii vel per parentes ipsos, vel per alios in doctrina christiana sufficienter instruantur. Utrum vero sufficiens censeri possit illa instructio, quæ semel in hebdomade in scholis Dominicalibus vel a sacerdote in ecclesiâ traditur, ex adjunctis dijudicandum erit. Puerò enim ingenioso et diligent, præsertim si parentes habeat, a quibus debito modo stimuletur et in addiscendo juvetur, minus sufficit ut ad congruentem doctrinæ christianæ notitiam perveniat, quam indiligi et sibi soli relichto. Generatim tamen, et prout rerum in plerisque locis est conditio, unica hæc in hebdomade instructio insufficiens dicenda est. Cfr. dicta n. 7 sub 4.

Dixi: 2) *Iis in locis et adjunctis, in quibus eos scholæ alicui catholicæ committere possunt.* Impossibilium enim nulla est obligatio. Impossibile autem in re, de quâ agimus, vocatur non id tantum, quod *physicè*, sed et illud quod *moraliter*, seu sine gravi difficultate, fieri nequit. Prioris, seu physicæ impossibilitatis casum habes in locis, in quibus, vel in quorum proximâ viciniâ nulla schola catholica habeatur, aut, si de parentibus pauperibus agitur, in locis, in quibus scholæ catholicæ *gratuitæ* aut nullæ, aut non sufficienti numero adsint. Posterioris, seu moralis impossibilitatis exemplum occurrit in parentibus, quibus id, quod ex quotidiano labore lucran-

tur, vix aut ne vix quidem sufficit ad duplices illas expensas ferendas, quas pro scholis publicis exigit civilis potestas, et pro catholicis Ecclesias.

16. — *Casus V.* Absolvi nequeunt parentes, qui sine causâ proportionate gravi filios scholæ cuidam publicæ, licet non positive noxiæ, committunt iis in adjunctis, in quibus illud sine gravi scandalo fieri nequit. Pone, e. g. hominem catholicum inter concives suos opibus, auctoritate aut quâvis aliâ de causâ conspicuum, in cuius parochiâ schola catholica cum publicâ aliquâ coexistat. Hic, si exemplo suo, præsertim vero si, ut ab hujusmodi fieri assolet, encomiis quoque in scholam publicam alios induceret ad catholicam vel deserendam vel non adeundam, gravis profecto scandali reus foret, nec consequenter absolvendus.

Dixi tamen : *qui sine causâ proportionate gravi filios scholæ publicæ, licet non positive noxiæ, committeret*, idque propter exceptionem, de quâ infrâ n. 19, 20 agemus.

17. — *Casus VI.* Dubitari potest an absolvi valeant parentes, qui filios committunt scholis, in quibus ludimagister catholicus ex protestanticâ aliquâ Bibliorum versione (quâ tamen pueri non utantur) ea tantum prælegit, quæ versioni catholicæ [quam solam interne admittit], sint conformia. Et ratio quidem dubitandi est, quod qui versione protestanticâ utitur, *et* ejus auctoritatem agnoscere, — cum eam ut Verbum Dei prælegere censeatur, — *et* pueris eam in normam proponere videatur. Si tamen [vel pueros lateat eum versione protestantica uti], vel ex protestatione explicita ludimagistri, vel ex adjunctis satis pateat, ipsum auctoritatem ejusdem non agnoscere et durâ compulsum necessitate ita agere, absolutionem denegare non auderem ; tunc enim allata dubitandi ratio non amplius subsistet. Suppono tamen scholam aliis de causis non esse vitandam, et [assumo benignæ Matris Ecclesiæ mentem non esse Bibliorum protestanticorum prohibitio nem ita velle urgere, ut his etiam in adjunctis, in quibus lex sua nociva fieret, non liceret ea vel materialiter manibus tenere, ut quæ conformia sunt Bibliis Catholicis ex iis prælegantur.]

18. — *Casus VII.* Quid, si pueri recitare cogantur cantica aut preces sectarum, sed ejusmodi tantum, quæ nihil hæretici contineant, ut e. g. formulam Orationis Dominicæ cum addito : “*nam tuum est regnum,*” etc. ?

Parentes, qui filios hujusmodi scholis instituendos tradunt, non possunt absolvi, si cantica illa vel preces sectarum recitentur quatenus sectarum propria [seu si adhibeantur ut objectum actûs religiosi, et non, quemadmodum sæpe cantica, ut objectum recreationis vel doctrinæ naturalis]. Permitti tamen posset istiusmodi scholæ frequentatio pueris, qui ab omni ad preces et cantiones istas cooperatione abstinerent ; ita enim agendo contra illas protestarentur. Quis vero hoc a pueris expectet ?

19. — *Casus VIII.* Quid si filii in locis, ubi scholæ catholicæ copia non sit, ne legendi quidem aut scribendi artem addiscere valeant, nisi ad publicam aliquam mittantur? Respondeo distinguendo. Si filii ea doceantur in scholâ aliquâ, quæ non sit positive noxia, parentibus absolutio denegari nequit, ut patet ex dictis n. 8. Sin autem propter unam ex causis, suprà n. 7 explanatis, positive noxia fuerit, iterum distinguendum erit, et casus resolvendus juxta principia occasionis proximæ necessariæ. Nimirum vel periculum, quod fidei moribusve puerorum imminet, ex proximo remotum *et* reddi potest, *et* reapse redditur, vel non. Si prius, absolvî poterunt; si posterius, non poterunt. In *pueris* tamen periculum istud difficillime ex proximo remotum reddi poterit, cum tenera illa ætas vix non semper imbuitur principiis et moribus eorum, quorum vel doctrinas constanter audiunt, vel consuetudine utuntur. Fateor equidem durius videri pueros privari copiâ addiscendi artem legendi et scribendi; hæc enim iis non tantum in quavis sociali, quam aliquando sortientur, conditione, hodie præsertim, maximi est momenti, sed et fidei ac pietati eorum maxime proficua esse poterit. At vero si ars illa sine fidei aut morum damno addisci nequeat, verba valent Christi Domini apud Matth. xvi. 26, “*Quid . . . prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*” Casum analogum eodem modo resolvit S. Alphonsus,¹ de puellis agens, quæ a viris artem legendi et scribendi (privatum utique) docerentur. “Neque his puellis,” ait, “indulgeat confessarius, ut a viris “doceantur legere, et tanto minus scribere. Quot puellæ simplices, quia “didicerunt legere, animæ jacturam luxêre!” Quapropter nec matres absolvendas docet, quæ id permitterent.

20. — *Casus IX.* Quid, si filii in scholâ aliquâ catholicâ ea addiscere nequeant, quorum scientiâ in sociali suâ conditione aliquando indigebunt, puta idioma aliquod, computum commerciale, mechanicam, chemiam, medicinam, jurisprudentiam, cætera ejusmodi? Casus occurrit, sive quod nulla adsit schola catholica, in quâ filii hæc doceantur, sive quod illa adiri nequeat, nisi expensis, quibus parentes non sint pares.

Responsio ad casum præcedentem data, integra valet pro præsenti. Judicium tamen de minori majorive possibilitate removendi periculum, pro variis adjunctis, necessariò varium erit. Sic in *adolescente*, qui altioribus disciplinis in scholâ aliquâ non catholicâ operam navatûrus sit, spectanda erunt non tantum indoles fortior vel debilior, ac mens Religionis principiis firmius aut minus firme protecta, necnon pueritia honeste aut minus honeste transacta, sed et parentum minor majorve cura, vigilancia et in adolescentem auctoritas; itemque loci, in quo studiis incumbit, distantia à domo paternâ; quò enim longius à parentum domicilio distat domicilium

¹ Praxis Conf. cap. vii. § iii. n. 101, 7.

filii, eò difficilius huic illi invigilare et auctoritatem ac influxum in illum exercere valebunt. Ad ipsius quoque scholæ et loci conditionem attendum est, cum ea periculum magis minusve proximum reddat, aut difficultatem illud removendi vel augeat vel minuat. Demum et major minorve gravitas causæ, quâ parentes impelluntur filium ejusmodi scholis instituendum tradere, præ oculis est habenda, et his omnibus perpensis vel severiores, vel benigniores oportebit esse confessarios cum hujusmodi parentibus. Verbo, loco normæ à confessariis habenda est Sanctæ Matris Ecclesiæ circa mixta matrimonia sollicitudo. Quemadmodum enim illa matrimonia ista numquam permittit, nisi adhibitis cautelis, quibus catholica prolis ex iis nascituræ institutio in tuto sit, ita et confessarii nullo in casu permittant, ut scholis committatur, ubi proximum perversionis periculum non removeatur; et quemadmodum absolutio deneganda est parti catholicæ, quæ in culpâ est, quod proles non catholice instituatur, ita et deneganda est parentibus, qui culpâ suâ prolem in scholis, de quibus agimus, discrimini quoad fidem aut mores vel exponunt, vel expositam relinquunt. His, quæ diximus, consonant quæ scribit cl. *Craisson in Ephemeride: Revue des sciences ecclésiastiques*,¹ itemque *Statuta Synodi Columbensis*, 1873.

21. — *Casus X.* Si, patre acatholico cogente, puer scholæ publicæ instituendus committitur, mater catholica absolvi poterit, casu etiam quo schola noxia foret, dummodo 1) soli violentiæ cesserit; 2) pravum scholæ influxum pro viribus oppugnet; 3) catholicæ institutionis pueri pro posse suo curam habeat. Ita fere laudata *Synodus Columb.*

22. Quæ diximus de abſolutione negandâ annon parentibus, qui prolem scholis publicis committunt, valent quoque, proportione servatâ, 1) de magistris catholicis in iis docentibus; 2) de iis, qui ad officium magistri, in scholis publicis aliquando obeundum, instituuntur; 3) de omnibus, qui curam habent animarum, nec pro posse suo de catholicâ juventutis institutione solliciti sunt; 4) de catholicis scholarum publicarum curatoribus (*members of the school-board*). Pauca juvat notare de singulis.

23. Absolvi nequeunt magistri, qui in scholâ adhibent, aut pueris prælegunt libros, quos S. C. de Prop. Fide in Rescripto ad Episcopos Hiberniæ (vide supra n. 8, sub 1) adhiberi non posse declaravit, aut sectarum cantica precesve cum pueris recitant, aut pueros recitare jubent. Sunt qui protestanticæ versioni Bibliorum catholicam [aut folia quædam catholicæ], occultè supponunt [aut in libris, quibus uti coguntur et qui non sint *ex professo Religioni* adversi, loca prava, sive explicatione opportunâ emendant, sive omittunt]; et hi [servatis quoad Biblia iis, quæ n° 17 monuimus], non videntur inquietandi.²

¹ N. 150. Livr. de Juillet, 1872, p. 91. Tome xxvi^e de la collection.

² Cfr. Kenrick. Tr. xiii. n. 38.

24. Idem resolve de iis, qui ad officium magistri, in scholis publicis aliquando obeundum, instituuntur, nisi firme proponant in illo obeundo ab iis abstinere, à quibus magistrum catholicum abstinere debere diximus n° superiori 23. Si vero hujus propositi tenaces non fore videantur, enixe et prudenter hortandi sunt, ut alii potius officio aut arti sese dedant.

25. Qui curam habent animarum sedulo perpendere debent hæc Concilii Plenarii Baltimorensis II. verba :—

“ Non possunt hujus Plenarii Concilii Patres ultro non agnoscere palam-
“ que profiteri, curam teneriori ætati atque adolescentiæ Christianis mori-
“ bus informandæ impendendam, inter *præcipuas* sollicitudinis Pastoralis
“ partes recenseri ; eoque magis, quo hodierni Religionis nostræ inimici
“ suas omnes artes conferre connituntur, ut juvenum animos vel à primâ
“ ætate depravent.”¹

Quapropter monentur pastores :—

a. “ Ut omni, quo valent, studio catholicorum puerorum christianæ et
“ catholicæ educationi prospiciant, et diligenter invigilent, ne versione pro-
“ testantica bibliorum utantur, vel sectarum cantica aut preces recitent.
“ Ideo invigilandum erit, ne in publicas scholas libri vel exercitia hujus-
“ modi introducantur, cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem
“ et moderate hisce sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum, qui
“ auctoritate valent opportunum adhibere remedium, implorato auxilio.”²

b. Ut cum hoc “ optimum, immo *unicum* ” superesse videatur “ reme-
“ dium, quo gravissimis . . . malis et incommidis occurratur,” quæ ex
scholis publicis existere solent, “ in singulis diœcesibus, unamquamque
“ prope ecclesiam, scholæ erigantur, in quibus juventus Catholica tam lit-
“ teris ingenuisque artibus, quam Religione ac probis moribus imbuatur,³
“ . . . et si opus fuerit, et rerum adjuncta sinant, provideant ” pastores
“ ut ex redditibus ecclesiæ, cui schola annexa sit, idonei magistri in eâ
“ habeantur.”⁴

c. “ Serio etiam parentes ” moneant “ ut proli suæ magis magisque
“ invigilent, et pro rectâ ejus institutione diligenter consulant ac sedulo
“ laborent ; cum suis Pastoribus piè conspirent, suasque opes generosè
“ diffundant, ut Scholæ Catholicæ Parochiales quantocius erigantur ac sus-
“ tententur.”⁵

d. “ Cum autem omnibus in parœciis Scholæ exclusive Catholicæ, prop-
“ ter rerum angustias, nondum haberí queant, . . . Catecheses et Scholæ
“ doctrinæ christianæ instituantur. Pueros puellasque in propriam eccle-
“ siam Dominicis et aliis diebus festivis, et quandoque etiam sæpius Pastores

¹ Conc. Pl. Balt. II. a. 425.

⁴ Ib.

² Ib. a. 429.

⁵ Ib. a. 434.

³ Ib. a. 430.

“convocent, ut eos elementa christianæ doctrinæ *studiose* et *diligenter* edoceant.”¹ “Neque hoc muneris per alios, ut negligentiores solent, sed “per sese ipse” (pastor) “exequatur. Onus enim pueros christianæ fidei rudimentis instituendi adeò est cum pastorali officio conjunctum, ut qui “ex ignaviâ vel desidiâ id ferre nolit, aut in alias rejiciat, violati officii poenas vitare nullo modo possit. Quod disertis verbis omnibus, ad quos spectat, in memoriam revocatur à Patribus Concilii Plenarii Superioris.”²

[Hæc tamen Pastorum obligatio ut *per se* pueros in Doctrina Christiana instituant, non ita intelligenda est, ut per se ipsos *solos* ad id teneantur. Fieri enim potest, ut habeant in parochia sua v. c. religiosæ alicujus Congregationis sive viros, sive mulieres, quibus in hoc suo munere subleventur.]

Et hæc quidem, ut per se patet, (scientibus enim legem loquor) ejusmodi sunt, ut, si quis ex iis, qui curam habent animarum, vel unum ex istis, quod absit! negligeret, aut præstare nollet, absolutione indignus habendus foret. Quod enim ex officio *pietatis* sub gravi tenentur præstare parentes, idem profectò ex *justitia* præstare tenentur animarum pastores. Nec profecto concipi potest, cur benignorem esse liceat confessarium cum pastore animarum, quam cum parentibus. Cæterum in multis casibus difficile erit confessario judicare quid pastor animarum in specialibus, in quibus versatur, adjunctis possit vel non possit, et pœnitens conscientiæ suæ relinquendus erit. Væ tamen huic si quoad hoc suum gravissimum officium fucum sibi fecerit!

26. [Nisi spes fundata adsit fore ut influxu suo eas notabiliter minus damnosas reddant], curatores scholarum publicarum, quæ positive noxiæ sint, absolvi nequeunt; cæterarum vero per se absolutione indigni dici nequeunt, quin et laude digni sunt, si eo fine munus acceptent aut retineant, ut libri et magistri, qui catholicorum puerorum fidei aut moribus periculosi sint, procul à scholâ habeantur. Cæterum hoc hominum genus parochis, in quibusdam locis, multam facessit operam, et universim Ecclesiæ non parum affert detrimenti.

27. Opellæ nostræ finem imposituri non possumus non repetere ea, quæ supra n. 7 diximus, nimirum, spectatis temporum locorumque adjunctis, scholas publicas, et generatim omnes, in quibus ea viget juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholicâ fide et ab Ecclesiæ auctoritate sejuncta, communiter ut positive noxias esse habendas, adeoque *regulariter* recusandam esse absolutionem parentibus, qui filios eisdem instituendos tradunt; *exceptionaliter* tantum concedendam, i. e. in iis tantum cœssibus, in quibus præceptum prolem catholicè educandi, quatenus *affirmativum* est, pro possè servetur, et, quatenus *negativum* est, non violetur.

¹ Conc. Pl. Balt. II. a. 435.

² Ib. a. 438.

Faxit Deus, ut ea quæ est Venerabilium Episcoporum nostrorum in augendis fovendisque Catholicis scholis eximia sollicitudo, promptiora et efficaciora in dies ab omnibus, ad quos pertinet, consequatur adjumenta, ne ullum parentibus relinquatur effugium ad excusandas excusationes in peccatis, neve acta et decreta Conciliorum nostrorum litteræ, ut vocant, mortuæ loco habeantur.

APPENDICULA I.

DE SCHOLIS ET CONVICTORIIS CATHOLICIS, AD QUÆ ADMITTUNTUR ACATHOLICI.

S. Cong. de Prop. Fide in Litteris 25 Apr. 1868 Episcopis sibi subjectis cautelas quasdam partim præcipit, partim commendat, pro variis adjunctis servandas in scholis et convictoriis catholicis, ad quæ acatholici admittuntur. Præcipuæ sunt sequentes.

I. Cubicula separata pro instructione acatholicon, nisi ob defectum vel loci, vel pecuniæ, vel plurium magistrorum haberi nequeant.

II. Non admittere acatholicos licentiosos, eosque dimittere.

III. Non permettere ut catholici diutius conversentur cum acatholicis.

IV. Non cogere acatholicos, ut cum catholicis assistant exercitiis religiosis, ne hypocrisi locus detur et acatholici contra conscientiam suam erroneam agant, neve catholicis ex communicatione illâ in divinis indifferentismi periculum existat.

V. Speciatim quoad convictoria puellarum, a) ut acatholicae in scientiis tantum profanis instituantur, aut, expresso parentum rogatu, etiam in religione; b) ne umquam disputationes habeant cum catholicis puellis de rebus ad religionem pertinentibus; c) ne cœtus religiosos suæ sectæ adeant, vel, si id in aliquo casu impediri nequeat, magistræ passivè se habeant; d) ut si acatholica aliqua converti petat, res ad Ordinarium¹ deferatur; e) ut commercio catholicas inter et acatholicas moderatrices sedulo invigilent, illudque intra innocuos cohibeant limites.

Cautelas has opportunissimas esse nemo negabit, qui animo secum reputet haud fictum, sed verissimum esse periculum indifferentismi, quod catholicis ex liberiori et diuturniori cum acatholico commercio exurgit, et amicitiam, quam catholicæ in convictoriis cum acatholico contrahunt, quamque e convictorio egressæ mutuis postea visitationibus colere pergunt, mixtis matroniis plus semel ansam dedisse.

¹ Aut ad sacerdotem Convictorio præpositum.

APPENDICULA II.

POST RECEPTAS EPISCOPORUM APPROBATIONES ADJECTA.

Ex iis, quorum judicio Opellæ hujus folia antequam emendata prodirent, subjeci, fuerunt, qui amice mihi hæc quæ sequuntur suggesserunt.

1º. Aliquis animadvertisit non in variis tantum diœcesibus, sed et in variis etiam unius ejusdemque diœcesis locis tam varia esse adjuncta, ut uniformitas illa praxeos, quam intendo, sperari haud possit.

Probe profecto video non facile ad omnes omnino diœceses eamdem Sacra menta recusandi vel non recusandi praxim ab Antistitibus nostris collectivâ aliquâ lege aut instructione extendi posse, vel a singulis etiam Episcopis ad totam suam diœcesim.

At non hanc ego uniformitatem, quæ ex lege aut instructione aliqua sive collectiva omnium, sive singulari singulorum Episcoporum consurgat, intendi.

Meum non est dicere utrum necne omnium Provinciarum nostrarum ecclesiasticarum, aut etiam hujus vel illius diœcesis conditio ejusmodi sit, ut quemadmodum habent Litteræ Pii IX ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia, “juventus” ex scholis nostris publicis “misere exponatur “damno circa fidem,” et “Ecclesia,” i. e. Ecclesiastica auctoritas, “non solum “debeat intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, “ut eadem juventus necessariam christianam institutionem et educationem “habeat, verum etiam cogatur, omnes fideles monere, eisque declarare, ejusmodi “scholas catholicæ Ecclesiæ adversas haud posse in conscientia frequentari.” Hoc, inquam, meum non est. Neque enim de officio egi Sacrorum Antistitium, sed, ut ex titulo Opellæ meæ liquet, de officio *Confessariorum*. — Horum autem praxis ut, quantum fieri possit, uniformis sit, principia quædam variis casibus particularibus applicui, atque in his ipsis casibus eam diversorum adjunctorum rationem habere conatus sum, quâ praxis, licet pro variis personarum locorumque adjunctis necessario varia esse debeat, *in iisdem tamen adjunctis* eadem esse possit. Atque hæc, ut opinor, facile patebunt recolenti ea, quæ dixi n° 11, sq.

2º. Alii notarunt quæstionem, de quâ scripsi, adeo difficultatibus esse implexam, ut celebratissimus theologus nostras, bonæ ac claræ memoriæ Kenrick, eam resolvere non fuerit ausus, generalioribus eam tantum verbis attingens potius quam tractans.

Ad hæc animadvertere mihi liceat sequentia.

a) Kenrick *nihil hæsitans* resolvit *de ludi-magistris*: “Non debent versione protestantica Scripturarum uti, quum ea ratione auctoritas ejus agnosci videatur, et pueris in normam proponatur; sed, si jubeant rectores eas legere, prout mos est, oportet catholicam adhibere versionem. Nec liceteis pueros docere hymnos protestanticos, vel quidquid hæresim sapit.”¹ — Eodem Tractatu² absolute quoque hæc scribit: “Pueri in scholis publicis non debent ea versione” (i. e. Anglica Bibliorum a Protestantibus edita) “uti; nec magistri operam suam in ea legenda præstare.”

Quæ in hac opella n. 12 et 23 scripsi, his plane consonant. Sortem tamen miseratus tum magistrorum catholicorum, tum puerorum, qui alias in hæretici aut infidelis magistri manus inciderent, et quorum inde pejor fieret conditio, n^{is} 17, 18, et 23 temperamenta aliqua suggessi.

b) De parentibus agens hæc habet:³ “Peccant . . . *graviter* parentes qui . . . filios . . . fidei amittendæ discrimini objiciunt, hæreticis magistris vel infidelibus committendo, omni omissa cautela.” — Dolendum sane celebratissimum theologum hoc loco non magis *explicitum* fuisse, eum vero *hæsitasse*, nullatenus dici potest. Indubius pronuntiat *graviter* peccare parentes, qui filios suos discrimini fidei objiciunt, hæreticis vel infidelibus magistris eos committendo, omni omissa cautela. — At nonne ex his theologi nostri verbis, sponte quasi sua, omnia illa fluunt, quæ scripsi? Quid, quæso, differt schola publica *positive noxia* a magistro hæretico vel infideli? — Ratio deinde, ob quam parentes, de quibus in casu, graviter peccent, secundum Kenrick hæc est, quod filios discrimini fidei objiciunt, omni omissa cautela. Si doctissimus vir addidisset: *et sine causa proportionate gravi*, totam et integrum Opellæ nostræ doctrinam compendio exhibuisset. Cave tamen ne ex hoc, quod non adjecerit hæc verba, concludas, illum ea non subintellexisse. Quis enim in Morali Theologia vel mediocriter versatus ignorat, nemini umquam licere aut permitti posse, ut se vel alios periculo proximo peccati, sine causa proportionate gravi, objiciat, — et de cautelis in ejusmodi periculo adhibendis tunc tantum sermonem haberi posse, cum periculum vel physice vel moraliter vitari nequit. Jam vero periculum, de quo in casu, vitari potest, ubi schola aliqua catholica potest adiri, et tunc tantum, quando vitari nequit, eo quod schola ejusmodi adiri physice vel moraliter non possit, adhibendæ sunt cautelæ, ut periculum ex proximo

¹ Theol. Mor. Tr. XIII. n. 38. Edit. 1861.

² n. 60.

³ Tr. VIII. n. 87.

fiat remotum. Quod ubi fieri nequit aut frustra tentatur, omnino vitandum est. Nihil aliud docui et nihil aliud docere potuit aut posset Kenrick, aut quivis alias theologus catholicus.

Cæterum pag. 7 dixi novam esse hanc meam, non quidem quæstionem, sed tractationem, idque non alia de causa quam quod apud casuistas frustra queratur.

c) Illud præterea hic loci animadvertisendum puto merito supponi posse doctissimum et piissimum Antistitem et plura et paulo etiam aliter de scholis publicis scripturum fuisse, si post Litteras Pii IX ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia, de quibus n. 9 egi,— post Syllabum,— post luctuosissimam illam, quam hodie de scholis publicis habemus experientiam, scribere potuisset. Exemplo sit illud quod scripsit de legibus civilibus, vi quarum scholæ nostræ publicæ existunt. “Apud nos,” ait, “leges jubent juvenes in scholis publicis instituendos, quin sectæ alicui “faveatur, educationem et morum disciplinam a religione separantes. Leges “hæ æquæ videntur, spectata societatis in tot partes scissæ conditione.” “Leges hæ,” ait, “æquæ videntur.” At qua ratione Catholico hodie æquæ videri possint leges, quæ eam instituendæ juventutis rationem jubent, quæ viro Catholico juxta prop. 48 in Syll. damnatam *probari* nequeat, acutior me explicuerit, at certo Kenrick, obsequentissimus ille S^{ac}e Sedi Antistes, explicare ne conatus quidem fuisse. Quid si novisset Litteras ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia datas, in quibus ex mente Episcoporum Hiberniæ S. Pontifex *ex cathedra* loquitur,¹ et in quibus consilium expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem perniciocissimum vocatur, idque “in “quibusque locis regionibusque”? Nonne perspicacissimus ille vir ex citatis modo et Italicis litteris impressis verbis illico conclusisset, valere hic illud ipsum, quod Siricius Papa de quibusdam suis Litteris ad Himerium Archiepiscopum Tarragonensem scripsit his verbis: “ea, quæ ad Te “... speciali nomine *generaliter*,” i. e. ad omnes Episcopos, “scripta “sunt”?

Cæterum oportet, ut ipse Kenrick harum legum æQUITATEM sensu valde restricto intellexerit; nam posteaquam illa verba: “leges hæ æquæ videntur” scripsit, immediate hæc alia subjungit: “Sed perdifficile est pueros “bonis moribus ita instituere; vel sectarum præcavere artes, mentem “teneram sensim sine sensu adversus Ecclesiam præjudiciis imbuentium; “vel, quod præcipue timendum est, facere ut omnis religionis revelatæ “sensus haud exuatur. . . . Postera ætas moribus et sententiis deterior “erit.” — Aptioribus verbis scholarum publicarum pericula et damna exprimi vix, aut ne vix quidem possent.

¹ Dublin Rev., April, 1872, p. 416, note, et July, 1872, p. 192, sq.

3º. Animadversum quoque a doctissimo quodam viro fuit, probante ejusdem Episcopo, rectius tria quam duo publicarum scholarum genera distingui, ita ut *re et nomine* eae solae publicae sint habendae, quae lege institutae sint et in quibus lex stricte servetur; cæterae vero de facto aut catholicæ sint aut acatholicæ seu positive noxiæ; — positive autem noxias non eo semper gradu noxias esse, ut puerorum fides aut mores periculo proximo in eis exponantur; — eas vero, quae re et nomine publicae sunt, seu in quibus neque pro religione, neque contra eam quidquam sive dicitur, sive agitur, non esse, *generatim* loquendo, perversionis puerorum catholicorum nisi periculum *remotum*.

Ad has doctissimi et humanissimi Adnotatoris animadversiones hæc mihi liceat notare.

a) Triplex scholarum publicarum genus, *speculative* loquendo, admittendum esse lubens concedo. Utrum vero *practice*, in sensu Adnotatoris, admitti possit, vehementer dubito. Ratio cur dubitem, hæc est. Ut schola aliqua, in sensu Adnotatoris, *re et nomine* publica, seu quoad religionem neutralis dici posset, requireretur inter alia, ut neque libri, qui in ea adhibentur, aliquid continerent, — neque magistri, qui eidem præfecti sunt, aliquid dicerent aut agerent, — quod veræ religioni vel aduersetur vel proprium sit. Res per se evidens est. — Jamvero difficillimum est, ac *ideo præcise* practice perrarum, ejusmodi libros, præsertim si historiam, licet elementariter tantum, doceant, reperire. Quod quidem, teste Roberto Peel, ingenue aliquando confessum est collegium aliquod curatorum scholarum Bostoniense. — Difficilius forsitan invenies magistrum, qui libros, si qui dentur, innocuos non vel catholice vel acatholice explanet. Ejusmodi enim magister vel nullam omnino religiosam animo persuasionem foveat oportet, aut eam quam fovet, cautissime dissimulet necesse est. At ubi, quæso, magistrum reperies, cuius menti nulla omnino religiosa opinio aut persuasio insideat? Magister ergo in schola *re et nomine* publica, seu neutrali, vel automaton sit oportet, vel in arte fingendi ita versatus, ut quæ de religione sentiat, nec verbulo linguæ, nec ictu oculi, nec tono vocis, nec lineamento aliquo oris exprimat. — Taceo de periculo, quod pueris catholicis ex consortio et consuetudine cum acatholicis existit (vide n. 7, sub 1), et quod judicio S. Cgnis de Prop. Fide vel in ipsis convictoriis catholicis, ad quæ admittuntur acatholicæ, ejusmodi est, ut de eo Episcopos sibi subjectos litteris suis dd. 25 Apr. 1868 monendos fuisse censuerit (vide App. I. p. 24). Practice ergo scholæ publicæ vix non semper erunt aut positive noxiæ, aut, si magister catholicus legem migrare permittitur, positive proficiæ.

b) At nonne ipse triplex scholarum publicarum genus distinxi; unum scilicet facto catholicarum; alterum positive noxiarum; tertium non positive noxiarum seu tolerandarum? Profecto, ast, ut supra monui, non eodem quo doctissimus Adnotator sensu, sed eo, qui fini scriptio[n]is meæ

respondet. Pag. nimirum 7 dixi, et ex ipso titulo Opellæ patet, me hoc unum quærere, an absolutio semper ac omni in casu deneganda sit parentibus, qui prolem scholæ alicui publicæ instituendam confidunt. Denegandam autem eam dixi parentibus, qui prolem committunt iis scholis positive noxiis, in quibus periculo *proximo* exponitur (n. 5). Hoc ipso igitur satis dilucide innui, adeoque et cum Adnotatore admisi, non omnes scholas, etiam positive noxias, eo semper gradu noxias esse, ut absolutio deneganda sit iis quoque parentibus, qui prolem committunt ejus generis scholis, in quibus periculo tantum *remoto* exponitur. Eas vero scholas, in quibus periculum tantum *remotum* timendum sit, non positive noxias vocavi, — non eo sensu quod *nullo omnino modo* noceant (nam, ut supra sub a) dixi, ejusmodi practice vix. admittendas censeo), sed quod *tam parum* noceant, ut, si parentes de prole catholice instituenda aliàs satis solliciti sint, earumdem frequentatio non sub negatione absolutionis inhibenda sit.

c) Practice igitur ab Adnotatore in hoc demum differo, quod scholas publicas universim ad speciem deteriorem relegem: quod utrum plus æquo a me fiat, ut doctissimus quidem Adnotator opinatur, expertiorum judicio lubens remitto. Recolat lector quæ suprà ex Kenrick excrispsi: “*Perdifficile est*” (quod autem perdifficile est, illud et practice perrarum esse, supra monui) “*pueros bonis moribus ita*” (i. e. in scholis publicis) “*instituere, vel sectarum præcavere artes, mentem teneram sensim sine sensu adversus Ecclesiastiam præjudiciis imbuentium, vel quod PRÆCIPUE timendum est, facere ut omnis RELIGIONIS REVELATÆ sensus haud exuatur. . . . Postera*” “*ætas moribus et sententiis deterior erit.*”

Præsertim vero recolat, quæ *initio nⁱ 7*, ex Concilio nostro Plenario attuli, ex quibus quidem manifestum est Episcopis nostris (nisi eos vel hyperbolice, vel ficte locutos esse dixeris, quod absit!), persuasum esse, scholas publicas apud nos, *quoad partem earum longe maximam*, positive noxias esse. Id perspicuum fit ex adverbio: *plerumque*, quod adhibent et quod synonymum est adverbii: *communiter*, quo ego usus sum.

Itaque *quoad factum* præsertim dissensio est inter me et humanissimum Adnotatorem. Quodsi facta *alicubi* alia sint, quam ego illa n. 7 *universim* suppono, casus resolvendus *ibi* erit juxta illa facta et juxta dicta n. 15, 16; casūs vero n. 14 expositi resolutio, *pro iisdem illis locis*, ita immutanda erit, ut graviter non peccent parentes prolem suam scholæ publicæ instituendam *ibi* committentes, nisi *constet* istam scholam esse revera perversionis occasionem proximam.

Sunt et alia quædam, quæ doctissimus Adnotator animadvertisit. Cum vero hæc partim ad jam relata pertineant, partim propriis locis in Opella fuerint inserta, superest tantum, ut benevolo ac acutissimo viro debitas hoc loco ac sincerissimas gratias agam.

Prospectus.

THEOLOGIA MORALIS

NOVISSIMI ECCLESIAE DOCTORIS

S. ALPHONSI,

IN COMPENDIUM REDACTA ET USUI VENERABILIS CLERI
AMERICANI ACCOMMODATA.

AUCTORE A. KONINGS, C. SS. R.

NOTHING seems to us better calculated to recommend the work of which we have given the title above, than to present to the careful perusal of the Reverend Clergy of the United States the following extract of a letter addressed to the author by an ecclesiastic fully qualified to judge of the merits of the work, to whose examination and revision the manuscript has been submitted by the author.

“ REVEREND AND VERY DEAR FATHER,

“ I have examined with care the manuscript which you have been so kind as to submit to my revision. It gives me great pleasure to state that in my humble opinion it has all the qualities that can be desired in a handbook of moral for the clergy and seminaries of America. Its language is clear and simple, and thus its perusal becomes easy even to those of our clergy and seminarians who, on account of unavoidable circumstances, are not familiar with the niceties of the Latin language. By inserting, at the proper places, the decrees of our last Plenary Council, you have given all that is necessary for practical use, thereby dispensing with the obligation of constantly referring to that rather large volume. I might even venture to say that by these and other points of Canon Law introduced into your Compendium, a regular course of that study might wellnigh prove unnecessary. I have also remarked with pleasure, that you employ such notes only as are necessary for seeing whence you have drawn your doctrine; other notes are, as a general rule, but a source of confusion to the mind of the reader. Your work, moreover, contains all the latest decisions of the Sacred Congregations. I find it is not without reason you quote our

civil laws so sparingly, since they are changed so often, and are so very different in the different States. In spite of this, however, you quote them sufficiently, so as to guard the confessor against imprudent decisions, or at least cause him to doubt and consult, or induce him to advise his penitents to consult others experienced in these matters. Your treatise *de Regularibus* is both the most complete and at the same time the most succinct that I have yet met with in any handbook of Moral Theology. You distinguish therein very well the obligations imposed by the solemn vows from those of the simple vows, beside showing the peculiar position of Religious in this country. The method adopted by you, being that of *Gury*, cannot fail to meet the hearty approval of both professors and scholars. But what seems to me your chief merit, and which will no doubt be most acceptable to every confessor, is that you do not depart even a hair's-breadth from the doctrine taught by the latest Doctor of the Holy Church, St. Alphonsus, all of whose opinions may be followed with perfect security of conscience." . . .

To this highly flattering letter we need only add the *Monitum necessario legendum* of the author.

MONITUM NECESSARIO LEGENDUM.

QUÆ semper fuit doctrinæ moralis S. Alphonsi universalis ac insignis existimatio, ea apud omnes maxime increvit ex quo inter Ecclesiæ Doctores Sanctus est relatus. Ex hac autem ipsa existimatione desiderium extitit, ut cum *genuinam* ejus doctrinam *tuto* in praxin deducere liceat, hæc non compendiose tantum, sed eâ quoque methodo conscriberetur, quæ publicis prælectionibus foret aptior. Venerabili Clero nostrati illud præterea jam diu in votis fuit, ut in compendiosa hujusmodi et methodica Alphonsianæ doctrinæ expositione ratio haberetur conditionis, quæ Provinciarum nostrarum ecclesiasticarum ac harum regionum est propria. Hujus desiderii expectationem pro viribus meis hac qualicumque opella explere conatus fui. Qua quidem in re compilatoris potius quam auctoris partes me egitte ingenue fateor. Doctrina enim, quam trado et a qua ne latum quidem unguem recedere conatus sum, doctrina est S. Alphonsi; quæ ad res nostras pertinent, maximam partem desumpsi ex *Actis et decretis Concilii Plen. Balt. II.* et ex *Theologia Morali*, quam bonæ et claræ memoriæ Kenrick conscripsit, difficiliori et aliquoties obscuriori stylo ejus aliquantulum immutato. In plurimis Compendium Theologiæ Mor. P. Gury, cuius præclarissima methodus vix non omnibus theologiæ moralis tum Professoribus, tum alumnis probatur, et quam secutus sum, propemodum exscripsi, illud præ cæteris conatus, ut ad Alphonsianam doctrinam quam integerrime illud exigerem. Quæ de Probabilismo scripsi, amico debeo confratri; quæ de specifica et numerica peccatorum distinctione, itemque plurima de scando et cooperacione ad aliena peccata, et de quibusdam contractibus, ex Notationibus habeo Clⁱ Van Egeren. Demum, quæ in opere, cui titulus *Vindiciæ Alphonsianæ*, inveniuntur, ea sedulo ad utilitatem meam convertere studui.

Paucissima igitur sunt (quanquam sunt aliqua), quæ ex meo depprompsi penu. Si qua vero ex mei solius aut aliorum quam S. Alphonsi sententia circa puncta quædam, quæ a S. Doctore non attinguntur, scripsi, id sedulo semper notavi, ut ne quis illis eam tribuat auctoritatem, qua Sancti sententiae in Ecclesia gaudent. Quæ ex legibus nostris civilibus, vernaculo sæpe idiomate desumpsi, ea judicio subjeci clarissimi Juris consulti nostratis, cui debitas hoc loco gratias exsolvo.

Ne textus compendii ingrate interrumperetur atque ut brevitat consulerem, ea Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum Decreta, Declarationes et Instructiones, quæ ad rem moralem pertinent, quæque longiora sunt, nec in Concilii nostri Plenarii Balt. actis exhibentur, itemque facultates Episcopis nostris a S. Sede concedi solitas, operi præmisi, lectorem ad ea suis locis remittens.

Gratum quoque S. Alphonsi discipulo me facturum existimavi, si Compendio præmitterem excerpta quædam ex *Vindiciis Alphonsianis* de præstantia et auctoritate doctrinæ moralis S. Alphonsi, necnon Clavem operum ejus moralium, seu Regulas ad genuinas Sancti sententias discernendas.

The work will be published in three parts. The first, embracing, besides what is mentioned in the two last paragraphs of the *Monitum*, the *Principia Generalia Theologiæ Moralis*, that is to say, the Treatises *de Actibus humanis*, *de Conscientia*, *de Legibus*, *de Peccatis*, and *de Virtutibus*, will be published immediately. The second, containing the *Præcepta Decalogi et Ecclesiæ*, and the Treatises *de Jure et Justitia*, *de Contractibus*, and *de Statibus Particularibus*, will be ready in a few months. The third part, embracing the Treatises on the *Sacraments*, *Censures*, and *Indulgences*, will be ready by the end of the year. At the end of the third part will be found a very complete alphabetical Index of all that is contained in the whole work.

Each part will make about two hundred and thirty-six pages. Price of each part, \$1.50.

The book, when completed, will make about seven hundred pages, and will be sold, substantially bound, for \$5, the paper and printing to be of the same quality as this Prospectus.

Seminaries and colleges ordering twenty or more copies will be entitled to a small discount.

PATRICK DONAHOE, *Printer and Publisher,*
BOSTON, MASS.

THEOLOGIA MORALIS.

the mind of the reader. Your work, moreover, contains all the latest decisions of the Sacred Congregations. I find it is not without reason you quote our civil laws so sparingly, since they are changed so often, and are so very different in the different States. In spite of this, however, you quote them sufficiently, so as to guard the confessor against imprudent decisions, or at least cause him to doubt and consult, or induce him to advise his penitents to consult others experienced in these matters. Your treatise *de Regularibus* is both the most complete and at the same time the most succinct that I have yet met with in any handbook of Moral Theology. You distinguish therin very well the obligations imposed by the solemn vows from those of the simple vows, besides showing the peculiar position of Religious in this country. The method adopted by you, being that of *Gury*, cannot fail to meet the hearty approval of both professors and scholars. But what seems to me your chief merit, and which will no doubt be most acceptable to every confessor, is that you do not depart even a hair's-breadth from the doctrine taught by the latest Doctor of the Holy Church, St. Alphonsus, all of whose opinions may be followed with perfect security of conscience."

To this highly flattering letter we need only add the *Monitum necessario legendum* of the author.

MONITUM NECESSARIO LEGENDUM.

QUÆ semper fuit doctrinæ moralis S. Alphonsi universalis ac insignis existimatio, ea apud omnes maxime increvit ex quo inter Ecclesiæ Doctores Sanctus est relatus. Ex hac autem ipsa existimatione desiderium extitit, ut cum genuinam ejus doctrinam *tuto* in praxin deducere liceat, hæc non compendiose tantum, sed eâ quoque methodo conscriberetur, quae publicis prælectionibus foret aptior. Venerabili Clero nostrati illud præterea jam diu in votis fuit, ut in compendiosa hujusmodi et methodica Alphonsianæ doctrinæ expositione ratio haberetur conditionis, quæ Provinciarum nostrarum ecclesiasticarum ac harum regionum est propria. Hujus desiderii expectationem pro viribus meis hac qualicumque opella explere conatus fui. Qua quidem in re compilatoris potius quam auctoris partes me egisse ingenue fateor. Doctrina enim, quam trado et a qua ne latum quidem unguem recedere conatus sum, doctrina est S. Alphonsi; quæ ad res nostras pertinent, maximam partem desumpsi ex *Actis et decretis Concilii Plen. Balt. II* et ex *Theologia Morali*, quam bonæ et claræ memoriæ Kenrick conscripsit, difficiliori et aliquoties obscuriori stylo ejus aliquantulum immutato. In plurimis Compendium Theologiæ Mor. P. Gury, cuius præclarissima methodus vix non omnibus theologiæ moralis tum Profesoribus, tum alumnis probatur, et quam secutus sum, propemodum exscripsi, illud præ cæteris conatus, ut ad Alphonsianam doctrinam, quam integerrime illud exigerem. Quæ de Probabilismo scripsi, amico debeo confratri; quæ

[See 4th page cover.]

THEOLOGIA MORALIS.

de specifica et numerica peccatorum distinctione, itemque plurima de scandalō et cooperatione ad aliena peccata, et de quibusdam contractibus, ex Notationibus habeo Clⁱ Van Egeren. Demum, quæ in opere, cui titulus *Vindiciæ Alphonsianæ*, inveniuntur, ea sedulo ad utilitatem meam convertere studui.

Paucissima igitur sunt (quanquam sunt aliqua), quæ ex meo depprompsi penus. Si qua vero ex mei solius aut aliorum quam S. Alphonsi sententia circa puncta quædam, quæ a S. Doctore non attinguntur, scripsi, id sedulo semper notavi, ut ne quis illis eam tribuat auctoritatem, qua Sancti sententiæ in Ecclesia gaudent. Quæ ex legibus nostris civilibus, vernaculo sæpe idiomate desumpsi, ea judicio subjeci clarissimi Juris consulti nostratis, cui debitas hoc loco gratias exsolvo.

Ne textus compendii ingrate interrumperetur atque ut brevitati consulerem, ea Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum Decreta, Declarationes et Instructiones, quæ ad rem moralem pertinent, quæque longiora sunt, nec in Concilii nostri Plenarii Balt. actis exhibentur, itemque facultates Episcopis nostris a S. Sede concedi solitas, operi præmisi, lectorem ad ea suis locis remittens.

Gratum quoque S. Alphonsi discipulo me facturum existimavi, si Compendio præmitterem excerpta quædam ex *Vindiciis Alphonsianis* de præstantia et auctoritate doctrinæ moralis S. Alphonsi, necnon Clavem operum ejus moralium, seu Regulas ad genuinas Sancti sententias discernendas.

The work will be published in three parts. The first, embracing, besides what is mentioned in the two last paragraphs of the *Monitum*, the *Principia Generalia Theologiae Moralis*, that is to say, the Treatise *de Actibus humanis*, *de Conscientia*, *de Legibus*, *de Peccatis*, and *de Virtutibus*, will be published immediately. The second, containing the *Præcepta Decalogi et Ecclesiæ*, and the Treatises *de Jure et Justitia*, *de Contractibus*, and *de Statibus Particularibus*, will be ready in a few months. The third part, embracing the Treatises on the *Sacraments*, *Censures*, and *Indulgencies*, will be ready by the end of the year. At the end of the third part will be found a very complete alphabetical Index of all that is contained in the whole work.

Each part will make about two hundred and thirty-six pages. Price of each part, \$1.50.

The book, when completed, will make about seven hundred pages, and will be sold, substantially bound, for \$5, the paper and printing to be of the same quality as this Prospectus.

Seminaries and colleges ordering twenty or more copies will be entitled to a small discount.

 PART FIRST IS NOW READY.

PATRICK DONAHOE, *Printer and Publisher,*

BOSTON, MASSACHUSETTS.